

Bischof Everhard von Münster befundet, daß Lubert von Senden dem Kloster
 Varlar den von ihm lehrwürdigen Hof Wellbergen, Kpl. Darup, verkauft und er
 dafür andere Güter im Kpl. Senden im Austausch erhalten habe.

In nomine Domini, amen. Temporales actus supplantare solet ruina
 temporum, nisi vivificentur apicibus sigillatis. Proinde nos Everhardus, Dei
 gratia Monasteriensis ecclesiae episcopus, dignum duximus cunctis Christi
 constare fidelibus, quod constituti coram nobis Lutbertus de Sendene famulus,
 Blederadis uxor sua, Gerardus, Lutbertus, Mechtildis, Rekence, Bliederadis,

Hildeburgis, Elisabet, eorum liberi et cohaeredes, recognoverunt, se venera-
 bilibus viris domino Joanni praeposito et conventui ecclesiae Varlarensis curtem
 suam in Welberge, sitam in parochia Dodarp, quam a nobis jure tenuerunt
 ministeriali, cum agris, lignis, pratis, pascuis, rivis, juribus, hominibus seu cum
 omnibus suis attinentiis pro centum marcis legalium denariorum rationabiliter
 vendidisse, qua summa recepta idem Lutbertus una cum uxore sua et liberis
 et cohaeredibus praenotatis resignaverunt dictam curtem conjunctis manibus
 cum omnibus suis juribus et attinentiis, ut supra notatum est, in manus
 nostras et dicti praepositi et conventus, ab ea penitus in perpetuum rece-
 dentes. Nos vero recepto vice curtis praedictae intercambio et proprietate
 bonorum, videlicet Poppenhuss in Gerlinethorpe, Velthus et Camphuss sita
 in parochia Sendene, quorum proprietates ad ipsos, videlicet Lutbertum et
 ad suos cohaeredes, pertinebat, contulimus et conferimus in his scriptis saepe-
 dictam curtem ac ipsius proprietatem domino Joanni praeposito et conventui
 in Varlare pro propriis bonis jure haereditario perpetuo possidendam. Ut
 autem haec rata et firma permaneant, praesentem litteram ipsi tradidimus
 sigilli nostri munimine roboratam. Datum anno Domini M^oCC^o nonagesimo,
 tertia feria post dominicam Lactare, praesentibus et protestantibus Joanne
 praeposito ecclesiae Varlariensis, Wernero celerario, Everhardo custode, Her-
 manno Werence canonico ecclesiae Varlariensis, Aspelano converso, Joanne de
 Remen canonico maioris ecclesiae Monasteriensis, Jacobo plebano in Borcken,
 sacerdotibus; Hermanno de Ludinckhusen, Henrico Seleking, Caesareo fratre
 suo, Gerharde Bruhne militibus; Gerardo de Wederden, Joanne de Heeck,
 Conrado et Ottone fratribus de Sendene, Wernero de Loye, Rolando de Holt-
 husen, Joanne dicto Vreselere, Rodolpho de Sunderhus, famulis, et aliis quam
 pluribus fide dignis.

Kopie im Varlarer Koptar S. 98/99.

124

2

S 124